

rum est quod STEPHANVS, homo in doctrina ac moribus suis integerrimus, tot contumeliis affectus et grauissima morte multatus est. Varia enim hominum genera in accusando et ad supplicium rapiendo STEPHANVM consueta quadam malitia coniuncta fuisse, relatum legimus. Legatus diuinus, LVCA S, nobis quinque Iudeorum genera enarrat, qui STEPHANO infensissimi hostes fuerunt, suisque falsis testimoniiis Senatui Hebraeorum magno persuaferunt, ut hunc vi rum probum tanti supplicii reum iudicarent, dum hac de re ita scribit: d) *ἀνεσησαν δε τινες των ἐκ της συναγωγης λεγομενης λιβερτινων καὶ Κυρηναιων, καὶ Αλεξανδρεων, καὶ των απο Κιλικιας, καὶ Ασιας συζητουσες τῷ Στεφανῷ.*

Primo statim loco in hoc dicto uox *λιβερτινων* occurrit, quae inter eruditissimos uiros magnam excitauit litem. Igitur operae pretium esse arbitror, si posthabit is omnibus in hos homines orationem meam uer tam, omnemque nauem operam, ut testimoniis optimorum et fide dignissimorum Scriptorum demonstrem, quales non fuerint, et contra ea ad quodnam hominum genus iure quodam suo referri potuerint. FRANCISCVM IVNIVM, qui uocem LIBERTINORVM a uocabulo quodam *Aegyptiaco* LVBRATENV, deriuat, et statuit, LV CAM LVBRATENORVM scripsisse, una cum TREMELLI O, ut et PASORE, IVNIVM in deriuatione ea secutis, eleganter ac erudite refutauit e) NICOLAVS FULLERVS. Pari modo illi errant, qui cum IACOBO GOTHOFREDO f) affirmant, non esse le-

gendum

d) Act. VI, 9.

e) in Miscell. Lib. II. cap. I.

f) in Commentario suo in Codicem Theodosianum Tom. VI. Lib. XVI. titulo VIII. de Iudeis Coelicolis et Samaritanis, pag. editionis Maruilliae